

IN N OMINE D OMINI.
DISSERTATIO POLITICA

De

CONSERVATIONE REIPUBLICÆ ET PRÆSERTIM MONARCHIÆ.

Quam

Consentiente ac approbante amplissimâ facultate
Philosophicâ, in illustri ad Auram Academiâ;

SUB PRÆSIDIO

PRÆCLARISSIMI VIRI,

DN. M. A X E L I I *Kempes*, Philo-
phiæ Practicæ & Histor. Professoris Ordinarij; nec
non p. t. Rectoris Magnifici; Præceptoris
ac promotoris sui ætatèm colendi,

*Pro Magisterij Philosophici dignitatibus & privilegijs adi-
scendis, examini publico, placidæque Eruditorum
censuræ, modestè subiicit*

AMBROSIUS SVENO NIS NIDULIUS
Smolandiâ Svecus, SÆ R.^m M.^{ris} Alumnus.

*Ad diem 22. Maij Anni M. DC. LXV; In Audit. Super.
& Max. horis ab Octavâ Matutinis.*

A B O Æ, 1665.

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

*ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELSO
HEROI AC DOMINO,*

DN. PETRO BRAHE

Comiti in Visingsborg / Lib. Baroni in Gøjana /
Domino in Rydboholm / Lindholm / Brahestadna /
& Bogesund / &c. Regni Sveciae Senatori Prima-
rio, Drotzeto & Generali Justitiae per totam Sve-
ciam & Magnum Ducatum Finlandiae, Subje-
ctasque iisdem omnes provincias Directori; Iu-
dici Provinciali Wesmanniae, Montium ac Dale-
karliæ; ut & Academiæ Aboënsis Cancellario.

N E C N O N

*ILLUSTRISSIMO ATQUE GENEROSISSIMO
HEROI ET DOMINO,*

DN. NICOLAO BRAHE

Comiti in Visingsborg / Lib. Baroni in Gøjana /
Domino de Rydboholm & Säswagen; &c. Regni
Sveciae Senatori ac Ammirali &c.

Dominis & Patronis suis benignissimis

Hoc Exercitium Disp. Graduale
humilime.

Consecrat dicitq;

A U T H O R

DEO DUCE
PROLEGOMENA.

Siquidem Imperia propter ea sunt instituta, ut medio hoc ad Politiarum & Civilis Societatis finem perveniamus; indè sequitur: scopum omnium Imperantium, non aliud esse debere, quam *Justitiam & publicam omnium subditorum salutem*, L. 3. in princ. ff de offic. præf. Vigil. Salus enim populi suprema lex esto. Cic. de ll. Rectissimeq; jam olim Sapientes definivere: *Imperium nihil aliud esse, nisi curam S. l. s. alienæ*. Arist. pol. 3. c. 4. Lips. 2. pol. 6. Su- isq; ih notis. Et Ritterhusius ad Novell. part. 2. c. 1. n. 2. populi bonum, id est, directionem ejus & tutelam, non ipsummet principatum, (reputationem scilicet vanam & inanem gloriam) sibi finem esse; nec inventum suisse principum aliorumve imperium, suis ut ipsorum commodis illi studeant, (neq; enim in gravissimam servitutem sponte alieni commodi causâ se quisquam coniecisset); sed subditorum ob salutem: eos nimirum ut bene regant, eorumq; omni tempore, commoda non tam investigare, quām incommodeatibus mederi procurent. Ac Besoldus perfectum imperium politicum censendum esse ait, ubi ἀρχοντες ἀρχόντες διὰ τὴν σωτηρίαν iunguntur. Hoc idem ostendit S. Paulus, cùm dicit de magistratu, Dei minister est, tibi in bonum, Rom. 13:4. Undè Reges & Principes, distribu-

tores bonorum quæ largitur Deus, appellat Augustinus; & Homerus *τῷ πέρας τῷ λαῷ*. Atq; ut *Gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria;* sic *Moderatori Reip. beata civium vita proposita est: ut eis pibus firmas, copijs locuples, gloriâ ampla, virtuteq; sit honesta.* Cic. de Rep. & ad Q. Frat. Epist. i. Huc omnia sunt referenda, ab ijs qui alijs præsunt, ut qui eorum suberunt imperio, sint quam beatissimi. Præcipue verò præscribente Apostolo i. Tim. 2: 2. ut *Pietas & Honestas inter homines cum pace vigeat.* Et sanè laudata est vox illa Principis Hadriani, qui dixit: *Ita se Remp. gesturum, ut sciret rem populi esse, non suam.* Hujusmodi Principum, Regum ac bonorum Reip. Administratorum exempla, qui sollicitam istius procurationem conservationemq; intimius sibi commendatam habuere; ex Hist. sacrâ, in *Iosepho, Mose, Iosuâ, Samuele, Saül, Davide, Salomone &c.* prostant. Ex profanâ autem in Imperatoribus quatuor Monarchiarum. Imò, & nostra Charissima patria S V E C I A, varijs quamvis motibus olim quandoq; agitata, inconclusa tamen hactenus mansit; & Reges suos ac patres patriæ meritò appellatos saluberrimè senserat: ut pote inter alios, *Gustavum I. ejusq; posteros; Carolum IX. Gustavum Adolphum Magnum, Carolum X.* gloriosæ recordationis: quorum incomparabiles atq; heroicas virtutes, rerumq; prosperè gestarum magnitudinem, totus ferè orbis terrarum summā cum admiratione vidit & adamavit. Deniq; tempore hodierno, (Deo laus & perpetuæ grates,) Regē serenissimum *Carolum XI.* Dōminum nostrum clementissimum in paternæ Majestatis Throno fulgentissimo sedentem, o utinam felicissimo auspicio, &
abfit

absit invidia dicto! quem universus orbis imperij Sveo-Gothici, regiarum virtutum splendore eminentissimum, lætumq; animi, & ingenij fortunæq; in quam alitur capacem, cum maxima & humilimâ deveneratione, amore ac desiderio intuetur & prosequitur: Cujus S:z R:z M:t salutem, vitam & victoriam, omnemq; cœlitùs benedictionem D. O. M. benignè concedat. Mihi igitur secundum tenorem Constitut. Acad. ab amplissimo Senatu Philosophico cum esset injunctum, ut specimen aliquod publicum pro Gradis in philosophia deponerē, præsens materia digna visa est, in qua ingenij mei vires exercecerem. Esto proinde, bono cum Deo, & candidâ Lectoris interpretatione.

DISSE

CONSERVATIONE REIPUBLI
CÆ; ACCUMPRIMIS MONARCHIÆ

THESES

I.

Facturus ne operæ pretium sim, si à primordio hujus discursus politici, aliquid de Formâ Reip. Monarchicâ, perscripserim; nec satis scio, nec si sciām, dicere ausim: tamen, ut ostendatur, qualis Resp. nobis in hac disputatione, consideranda venerit; (cujus, ut reliquarum Formarum, imperij vis, in ipsâ èrvæ-
xiæ imperantiis atq; obedientium maximè consilit) aliquid pro modo instituti prælibandum putavi. Certè Monarchicam regiminis perficiendi rationem esse antiquissimam: nemo negaverit. Principio rerum, gentium, nationumq; imperium penes Reges erat, Iustin. l. 1. Cic.

Cic. 3. de LL. Idq; in terris nomen imperij primum fuit, Sal. in Catil. Et apud omnes ferè gentes comprobatum, usq; receptum est. Ita Imp. Rom. suos habuit Monarchas inde à Julio: Galli inde à Pharamundo rege habent: Athenienses à Cecrope usq; ad Codrum: Lacedæmonij à Lelege usq; ad Cleomenem: Hungari ab Attila: Hispani ab Attalarico: Angli à Britone: Scotti à Fregusso: Poloni à Mecho: Bohemi à Zecho, ut notat Schonb. pol. 1. 5. Dani à Dano: Sveci verò à Magogo. Atq; his populis hæc gubernandi ratio ideo fortè convenientior visa est, quod ad ipsius naturæ cursum quam proximè accedit. Eiusq; rei vestigia non tantum in hominibus, sed et jam in brutis cernimus. In apibus Rex unus est, Plin. 1. II. hist. nat. c. 17. Et dux unus in gregibus, & in armatis rector unus. Inter grues unus veluti consensu reliquorum princeps electus, agit & moderatur greges: unusq; in nave gubernator. Ac, ut partes hominis in uno corde maximè vident; ita, & partes civitatis in uno rege. Utq; Sollem unum in cœlo esse, non plures expedit; ita, & unum imperij corpus unius animâ regendum videtur, Tac. I. annal. Et Alexander Darij legatis respondit, mundum à duobus Solibus non posse regi, Curt. I. 4. idq; eō magis sui valitum est momento, quod pacatior tranquilliorq; hic futurus est status: εἴς κόρ-
γανις ἔσω, εἴς βασιλεὺς, Hom. Iliad. β. Et pacis interest omnem potestatem ad unum conferri, Tac. I. hist. Neq; aliud quandoq; discordantis patriæ remedium fuit, quam si ab uno regeretur. Idem I. I. annal. Cujus rei illustre documentum est, quod Roma in tantâ perturbatione, summa rerum rediit ad Octavium: Qui sapientia sua atq; solertia, perculsum undiq; & perturbatum ordinavit imperij corpus. Quod ita haud dubie, nunquam coire

E & consentire potuisset, nisi unius praesidis nutu, quin si anima & mente regeretur. Flor. I. 4. c. 3. Ecquid accommodatius dici potuisset, de *Imperio Sveo. Gotico?* quod olim tandem finitam dissensionem intestinam coadunatum est, Tit. Reg. jur. prov. c. 1. & 2. & nobiliss. *Gyllenst.* in eadem capita paraph. item hist. *Sveo-Goth*: Testantur præterea historiæ, nullas Resp. diutius durasse, quam Monarchicas; quod exemplis illustrat Keck. pol. I. 1. c. 1. conf. Lips. I. 2. c. 2. atq; ejus notas. *Reinh.* I. 1. cl. 1. c. 1. Ea igitur magnificienda. Patric. I. 1. de Reg. tit. 3.

II.

Cognitâ Reip. Formâ, consequenter agamus de Ordinario ac legitimo ad eam perveniendi modo, qui potissimum duplex est, utpote; vel per Electionem, vel per Successionem. Uter autem preferendus, tutior & regno, & imperio sit utilior, varia sunt variorum iudicia, nec inter omnes politicos convenit. Acerimè in utramq; partem moventur argumenta. Vid. *Liebenth.* disp. pol. 6. q. 3. *Schonb.* pol. 2. c. 2. *Gylslenst.* disp. 3. pol. *Arnis.* doct. pol. c. 9. *Althus.* pol. c. 19. *Scherb.* in pol. *Arist.* I. 2. c. 7. & alios. Ego, absq; cuiusquam præiudicio, nulli regno, nulli genti aut nationi debitum suum honorem ac modum iure receptum dimovendum esse duxerim. Et ne quid antiquitatis penitus ignoretur, digente Jcto: *Electio* est antiquior; *successio* autem *receptione*, & aspectu aliquo melior, Lips. pol. I. 2. c. 4. Satisq; constat in nostra patriâ Reges olim *Electione* assumi debuisse, & quidem indigenas ac regio sanguine oriundos, ex c. 3. tit. de Rege *LL. Ol.* M. 18. c. 1. *Joh.* M. 1. 21. c. 1. nec non *Serm.* eleganti ex hist.

Norveg.

Norveg. extracto de elect. Reg. prisc. apud Sveo-Gothos; qui mos temporibus inclytæ memoriae Gustavi I. in desuetudinem abijt. Huicq; successionem ut potiorem, & Præsentí statui ac modernis patriæ legibus magis conformem, jam præferimus atq; defendimus. Idq; ob has præcipue rationes sequentes: 1. Quod sceptra eadem muniantur. Orbitas quippe sfernuntur, ut ait Alex. M. apud Curt. l. 4. 2. Dissensiones ac discordiae de Electionibus frequentissimæ, (undè bella & vastationes), præveniantur atq; tollantur. Vid. unio hæred. Aros. 1544. illaq; renovata & redintegrata Norcopiae Anno 1604. indeq; Holmiæ Anno 1627. ut & Decret. Holm. Anno 1650. 3. Reges futuri, ab incunabulis ita in hanc spem educantur, ut ad imperij habenas aptiores fiant. 4. Major item eorum Authoritas & minor invidia qui in cunis adorari cœperunt, quam qui subito è privatis evehuntur. 5. quod plurimi populi successione sunt delectati, atq; ex illâ reges suos petierunt, ut in populo Dei videre licet, & olim apud Assyrios, Medos, Persas, Romanos, Ægyptios, Parthos, Africanos, Indos Francos, Corinthios, Thebanos, Lacedæmonios, Epirotas, Perusinos, Arabes, Hetruſcos, Tuscos, Muscovitas &c. testatur Liebenth. ex Bodino l. 6. c. 5. n. 718. Quin etiam & ad nostra usq; tempora, in Angliæ-Scotia; in Principibus Germaniæ: dicit nob. Gyllenst. 6. Deniq; est illud Taciti: minore discrimine Regem sumi, quam quari. Atq; ut notat citat. nob. Gyllenst. in suis pol. ex Paulo Merula in diatribe de statu Reip. Batav. Nasci principes melius, pacatius & securius, quam eligi. Cui consentaneum est illud R. Steyr. i. B. p. 10, hisce verbis. *Eyat ápti naturiskum Skipillsum then fu-
nunger the hawer fununglike wold medh árfsa Kádh/ svá-
sum*

sum sunt åpte Fadhr ella Föräldra sina / han harver
ches mera kärleek til almogha ock sinna vndidåna / at the
hawa thiåne ock lydhuge waridi Fadher ock föräldre hans:
och swa hafwer ock almoghe ches mera kärleek ock godhwil-
ia til sin kunung / at the åru vpfödde vndi lydhno ock wårio
fadhurs ock föräldra hans. Et Paulò post in fine ejus-
dem tituli : Ock thy sâghia wise man / at the land åru sâll/
ock liwa medh fridh ock frâlse / ther kunung hafwa åpte årf-
da råt / sum åpte fadhr ock föräldra sina ; ock mägo sea ock
rôna alle the nokoit wita ock widha um verildenara fara / at
the Land hawa rikedoma ock fridh ock frelse / fram föran-
nor Land / thon ey hawa tha sidwânio.

III.

Quod si minorennis Imperij fuerit suc-
cessor, Tutores, ut in alijs benè constitutis Rebuspu-
blicis, ita in hoc florentissimo Imperio Sveonum, con-
stituanrur ijdem, quos leges & Statuta , Regniq; De-
creta salubriter decreverint: sicuti laudatissima & so-
lennis illa consuetudo quæ sub tutelâ Reginæ Chri-
stinae obtinuit; atq; ea quæ moderno Statui legibusq;
conveniens, & in praxi perquæm laudabiliter nunc
quoq; est recepta, sub tutorio imperio Serenissimi ac
Potentissimi Regis nostri CAROLI XI. etc. conf.
Locc. Hist. SveoG. in vitâ Reg. Christinae pag. 609.
Decretaq; Comit. Holm. Anno 1633. p. 5. & 1634.
1644. item A: 1660. Dehinc, in iustâ ac legitimâ Re-
gis ætate, cum Reip. gubernacula plenè suscipiantur,
fequi consuevit ex præscripto Legum celebris & in-
auguralis Coronatio; quam fore faustissimam, bonis
ominibus votisq; ac precationibus subditi & cives uni-
versi precantur. Prius tamen ex consuetudine Re-
gni, datâ Assecuratione, receptoq; Homagio iux-

ta L.L. tit. Reg. Jur. Prov. c. 4 s. 7. Atq; Loce. Hist.
SveoG. in vitâ piaë memorie Gustavi M. pag.
524 seqq; & CAROLI GUSTAVI X. pag. 702.

IV.

Rex insuper, quemadmodum cùm in sede
regiâ patris sui federit, in altissimo Dignitatis gradu
supra omnes in regno suo est constitutus, cujus vitam
veluti normam aliquam & Exemplar, omnes ejus sub-
diti intuentur: ita, virtute omnes antecellere debet.
Unde Cyrus: apud Xenoph. ait: *Ei Imperium optimè con-
venire, qui omnibus quibus imperaret, melior esset.* Et
Alex. M. *Optimo voluit regnum suum offerri.* Quis igi-
tore indè non perspexerit, eum, (qui ad tantam for-
tunæ ingentis spem natus est, & in cuius salute, salus
vertitur omnium totiusq; Reip), optimè educari, ac
in omnibus virtutibus studijq; Principis Regisve per-
sonâ dignis, ritè informari oportere; idq; & causâ
sui ipsius, & omnium subditorum. R. Styr. 2. B.
Lips. pol. 2. cap. 7. 8. & seqq. Quamobrem magnam
olim inituri sint & gratiam Regis, & omnium Civi-
um votivas sibi acquisituri grates, immortalemq; no-
minis sui famam, quotquot huic maximè arduo ne-
gotio operam præclaram & curam eximiam impen-
dere.

V.

Sed præter Cognitionem Lingvarum, quæ
tamen maximè interviant Regi; Experientiamq; pro-
priam in terris provincijsque exoticis, si talis habe-
ri tutò queat, nullum penè studium tam mitificè a-
nimum Regis eorumve qui ad spem magnam natâ
sunt accedit atq; exstimulat, quam Studium Histo-
ricum.

ricum. Unde Patric. de Regno & Regis instit. His
storiographos & libros Annalium Regi legendos esse, elegan-
ter monet: Majorumq; statuas & imagines parvum curandas.
Hec itaq; Historiarum cognitio, Regibus, Ducibus, Impera-
toribus, omnibusq; Principibus perquam necessaria habenda
est. Ex eâ enim omnium virtutum exempla depromuntur,
& imitationes queq; clarissimarum actionum. Et speculum
est in quod intueri debent, ut exempla sequantur eorum,
qui laudabiliter administrationi præsuere. Quod si non fe-
cerint, prostant exempla Tyrannorum, eorumq; tristissimus
exitus. Atq; hoc idem Livius in præf. Hist. Rom. in-
digitat in hunc modum: ad illa mihi pro se quisq; acri-
ter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint; per
quos viros, quibusq; artibus, domi, militiaq;, & partum &
auctum sit imperium. Ac post pauca. Indèq; sibi suaq;
Reip. quod imitatione dignum cum delectu capere: indèq;
fædum inceptu, fædum exitu vitare sciat. E. G. In hi-
storijs exoticis, quis non amet? Prudentiam & for-
titudinem rei bellicæ singularem Nini. Semiramidis ce-
lebria facta: Humanitatemq; & benevolentiam Cyri,
Principem laudatum Vespasianum, qui amor & deli-
ciæ generis humani dictus sit. Optimum Nervam.
Traianum, Alexandrum Severum, Gordianum, Theodosi-
um utrumq; in studio pietatis insignes. Clementiam
Leonis, qui hæc dixerat: ut Sol omnibus quibus affulserit,
ijs calorem impertit; ita princeps Clementiam, ijs quos in-
spexerit, impertiat. Iustiniani prudentiam civilem. Hu-
manum animum Constantini hæc effundentis; subdito-
rum felicitatem imperij esse thesaurum. Friderici II. Sapi-
entiam atq; Studia Maximiliani Iustitiam. Ferdinandipaci-
ficam & moderatam Æquitatem. &c. Quis autem non
abhorreat & detestetur? Sardanapali Lasciviam & Intem-

perantiam. Sennacheribis fastum & superbiam. Hujusq; vitij poenam in Nebuchodonozore. Cambysis pravam educationem & vitam luxuriosam. Darij Codomanni delicias immodicas. Alexandrij M. & Cyri nimiam dominandi cupidinem. Ac longum foret per omnes historias ire! Sed ne patriæ statum omittam; nec tamen altius à primâ origine repetam; aut impiam Tyrannidem Grimmeri, Sævitiamve immanem Christieri, similiumq; horum; & varia exempla discordiarum atq; jdololatriæ omnino utiq; fugienda. Aut in virtutibus, in pietate & prudenti administratione Reip. Ericum I; Nec non Gotharum I; Dignerum; Biornes Tertium & Quartum; Ericum Åhråll; Ericum XI. cognomine Balbum; Magnum Birgeri Terles filium ob justitiam severam Lædulååß appellatum. Aut laudabilem familiam Sturianam! sufficiat etenim in familia Gustavianâ verè Regia facinora contemplari, & quidem in celebratissimæ memoriae Rege CAROLO GUSTAVO X. domi, militiæq; heroica ejus facta antè oculos ponere, qui omni ratione ad patriam conservandam allaborare sustinuit, nec unqnam detestavit. Cujus Magni Regis feliciter res gestæ eò majori gloriæ fastigio se extollunt, quò pauciorum annorum illius Herōis imperium fuit: ut temporis brevitas actorum magnitudine pensaretur. Nec adeò necesse est foris querere Traiani Sanctitatem; Augusti Felicitatem; Alexandri M Fortitudinem; Sapientiamq; Salomonis; Iosuæ, aliorumq; admirandas virtutes, cum harum non obicura argumenta promittant nostrates. Conf Hist. SveoG. Locc. Petrei. Joh. M. Et facere reetè Cives suos, princeps optimus, faciendo docet; cumq; sit, imperio maximus, exemplo major est. Vell. l. 2. c. 126.

Prædiximus, regem quidem oportere in omni virtute excellere, & alijs præstare; imprimis tamen *Clementiam* & *Authoritatem* quam diligentissime stabiliet, ut ait Geilf. pol. Exerc. 3. §. 4. Hisce namque virtutibus non patrum conservat Remp. Majestas. Et quod *Clementiam* attinet, oritur illa ex amore & benevolentia Regis in subditos, subditorumque vicissim in Regem. Ut ameris, amabilis eslo. Et diligi Princeps, nisi ipse diligit, non potest, inquit Plin. in paneg. Trajan. Ac nullum est imperium tutum, nisi benevolentiam munimat, Nepos in vita Dionis. Atque unicahac virtus (*Clementia*) mortales superis aquat, ejusque munera memoria, nunquam apud conservatos obsolescit. Cavendum tamen, ne *Clementia* degeneret in nimiam facilitatem; sed temperandus est *Iustitiae* rigor *Aequitate* & *Clementia*, non autem extingvendus. Hieron. Præt. in Theat pol. Sec. 3. memb. 2. Authoritas verò Regis iniicit subditis opinionem magnificè de eo sentiendi. Quia etenim Majestas Imperij, salutis tutela est; idcirco nimia familiaritate Authoritatem suam non perdat aut dissolvat Monarcha, Geilf. Et supervacaneum est singulatim talia persequi. In promptu namque est, quod ei Principi qui solus imperat, propositum esse debeat: oportere eum videri non tyrannicum; sed tanquam rei familiaris dispensatorem, & animo regali præditum erga cives, & non omnia sibi vindicantem suaq; facientem; sed procurantem ac tuentem: tūm in vita degendā mediocritatem & moderationem, non nimium & immoderationem consectari. Præterea, in Nobilis quidem se affabilem, & in congressibus ac sermonibus facilem prabere: multitudinem oratione demulcere. Ex his enim, Imperium sit non solum pulchrius, & omni sermone

predicabilius ac fortunatius; (quia melioribus' imperet, & non fractio ac demissis: & quia non sit perpetuo civibus invisa & horribilis); sed etiam diuturnius sit, necesse est. Arist. pol. L. 5. c. 11. Cic. ad Q. Frat. I. 1. Epist. 1.

VII.

Et quoniam fundamentum conservatio-
nis Reip. positum sit in *Summo Imperio*, quod à Græ-
cis eleganter vocatur *ἀρχὴ πολιτείας*, à recentiori-
bus Politicis Majestas, certisq; circumscriptum est Ju-
ribus, quæ in totam Remp. se diffundunt, illudq; il-
lustrius reddunt, ac aliàs *Iura Majestatis* appellantur;
ideoq; de his breviter. Ut enim *umbra suum* sequitur
corpus: ita & *Iura quædam Summum Imperium*, quæ ex e-
jus profluunt naturâ, & sine quibus flare id nequit. Quæ
etsi varia fuerint, ad duo tamen capita redigi possunt,
nimirum: quòd alia sint *Ecclesiastica*, alia *Civilia sive Poli-
tica*. Evidem nihil est in Imperio Summo, ad quod
Gubernatoris summi potestas se non extendat. Idecò,
& ratione duarum tabularum *Decalogi*, quarum custos
est; & respectu duarum hominis partium ex quibus
componitur, animæ sc. & Corporis; & pro duplice
vita humane societate, facta est hæc divisio. Consi-
stit autem Jus Ecclesiasticum, &c. In verâ Religione in-
troducendâ; Exemplo Iosue, Davidis, Salomonis, Constan-
tini M. Gustavi I. mi. B. Introductam conservando, E-
xemplo Caroli IX. & Gustavi II. y. Synodos Extra-
ordinarias convocando, exemplo Iohannis III. Ubs. A:
1572. d. Scholas & Consistoria instituendo, exemplo
Christinæ. &. Episcopos & ministros confirmingando ac
sustentando, ut in laudabili praxi obtinetur. & Festa
Precum & Gratiarum actionum solennia ordinando;
Exempla pia & egregia habentur quotannis in Rep.

Svecanā. *Politica* verò Jura quāvis variè à Politicis
distinguuntur, ut videre est apud Besold. pol. l. 1. c.
4. n. 1. Liebenth. pol. Exerc. 7. Arnold. Clapm. de
arc. Recomp. l. 1. Althus. & Arnis. Tamen prout
quædam spectant ad *Iustitiae administrationem*: quædam
ad *Fiscum*: quædam ad *belligerandi potestatem*, breviter
constringi possunt, ac potissimum ea quæ patriæ sta-
tui conformia sunt: Videlicet; potestas leges cum
consensu Senatorum & Ordinum Regni rogandi, con-
firmandi, interpretandi & abrogandi R. B. LL. c.
4. §. 7. Judicia ordinandi, ultimamq; Provocationem
Cit. tit. & cap. quæ jam in Dicasterijs Regijs subsistit,
revisione servatā S: R: M: proc. jud. p. 35. Jus vitæ
& necis, Ord. jud p. 16. circa fin. Cognoscendi de
crimine laſe Majestatis, proc. jud. p. 10. Constit. Acad.
c. 1. §. 6. Magistratus constituendi, & Jurisdictionē
tribuendi adimendiq; R. B. LL. c. 8. DingmB. c. 1.
& 2. Dignitates conferendi, E. G. Comites, Barones
& Nobiles creandi, Feudaq; concedendi, R. B. LL.
c. 4. item Doctores, Licentiatos & Magistros crean-
di, Ex constit. Acad. Jus legitimandi, Hift B. LL.
& Sl. c. 2. Famæ restituendi. Ætatis veniam con-
cedendi, ex varijs locis Legum. Salvogvardiam dan-
di, R. B. LL. c. 31. Publicos cursores instituendi,
proc. jud. p. 14. Jus belli indicendi; Pacem ineundi;
Fœdera pangendi; Legatos mittendi. Ius Armanniæ.
Jus viæ publicæ, R. B. LL. c. 4. § 5. 7. & à cap. 24. ad
27. inclusivè. Ius fluminum publicorum, Ord. Holm.
G. M. 1617. Portus constituendi & vectigalia accipi-
endi. Ius monetæ cudendæ, arg.º Decret. Norcop.
1604. &c. Jus multandi, undè Konungz Eensaf. Bo-
na vacantia apprehendendi, Danaars. R. B. LL. c. 2.

Proscriptorum, & crimen læsæ Majestatis committentium bona occupandi, priv. ord. Nob. p. 10. Hdgim. B. LL. c. 19. Jus Angariarum, ex varijs Decretis. Extraordinarias collationes, re ita exigente, secundum LL. irrogandi, Decret. Com. Metallifodinæ jus, & thesauri inventio. Pallatia regia inhasbitandi, R. B. LL. c. 2. Jus venandi, cod. tit. c. 34. & Bngningz B. LL. c. 23. Urbes extruendi atq; privilegijs ornandi. Comitia indicendi, &c.

VIII.

Porrò ut iam dictum est, de ipso fundamento & primario medio Reip. conservandæ, Juribus nempè Majestatis: ita exigit ordo, nunc esse peragendum de Secundarijs, quæ vel ordinaria sunt; ut Consultatio, Legislatio & Iurisdictio: vel Extraordinaria: ut Bellum, , Con-federatio, Legatio. Hujusmodi autem omnino esse necessaria, satis evincit onus imperandi, cui summi rerum gubernatores sufficere non possunt, adeoq; necesse est ista adesse, quibus Superior tanquam Instru-mentis utitur. Interest etiam, ut personæ præficiantur Dignitatibus: quia de claritate servientium crescit favor Dominorum. Qualisq; beat esse virtus in tantâ officialium latitudine, vix exprimi potest. Re-ctissime autem istiusmodi se habent officia in Rep. quando personis dignissimis & virtute præditis con-feruntur. Nam ut Vellejus inquit, *in quorumcunq; ani-mis inest virtus, eis plurimum tribuendum est.* Et, sicut singula seorsim contemplabimur; ita in specie primò de Regis SENATU & CONSILIARIIS, quibus ve-neranda antiquitas proximum à S.º R.º M:te locum meritò dedit, strictim dicemus. Verum enim verò cùm unius mens tanta molis imperij non esset capax, in partē curarum

curarum prudentissimi vocabintur, ut notat D. D. Locc.
in Libello de 4. Monarch. l. 2. c. 3. Dicebanturq; oca-
li, aures & linguae Regis. Et quasi pars corporis ipsius
Principis salutati, L. quisquis s. in pr. C. ad L. Jul. Maj.
cum ipso principe unum corpus constituerent, L. Jus Se-
nat. 8. C. de Dign. Unde qui per scelestam pactionem de-
nece Senatorum cogitaverit, Majestatis reus est. Cit. L.
quisquis. Et R. B. LL. c. 9. Exod. 22: 28. Act. 23:
5. Horum Regis Regniq; causa ingentem esse in Rep.
utilitatem, omnium gentium consensus coarguit,
& ipsa res evincit: Nihil enim consilio in omnire
prius est, eventusq; semper edocuit in maximis nego-
tijs plus cōsilio quam manibus effectum esse. Eligan-
tur autem, ut vult lex, R. B. LL. c. 8. indigenæ & o-
ptimi, qui benè noverint, quomodo tempore pacis
& belli Resp. gubernanda sit. Requirantur etiam
tot, quot ē re sunt. Quorum omnium virtutes
sunt potiores, bonum respicere publicum; & post datum
consilium omnia silentio tegere. Geilf. pol. Exerc. 3.
th. 12. Et Christ. Præt. Ante consultationem requiri in
illis, pietatem, eruditionem, continentiam, aliasq;
virtutes statuit. Sub consultatione; σαρρησιαν, modestiam,
sobrietatem, providamq; cunctationem. Post con-
sultationem, constantiam, taciturnitatem, & animi
præsentiam in exequendo. Plures virtutes vidd. apud
Hœnon. disp. 5. th. 13. & seqq. Althus. pol. c. 27.
Reink. l. 2. cl. 1. c. 4. n. 24. & 25. Schonb. pol. l. 3. c.
23. & Seqq.

IX.

Hæc de consultatione dicta sunt. Sequitur
LEGISLATIO, quæ est alterum medium politicum

*secundarium, quo summus Magistratus, ordinem
vel novarum legum sanctione in Rep. introducit,
vel introducit, antiquarum LL. abrogatione, aut
bonâ interpretatione emendat ac conservat, ut o-
mnia ad salutem Reip. dirigantur.* Cujus necel-
sitas ad Remp. conservandam tanta est, ut absq;
hâc felix ac pacificus Reip. status vix haberi queat.
Vid. Confirm. jur. prov. CAROLI IX. Et proœm.
G. M. ad proc. Jud. hisce seqq. *Thet är bestvârslis-
git/ ta endels omögeligit/ til at uppöhâlla/ fördra och främ-
ta i Regementet ut fredsampt och roligit wäsendhe/ medh
mindre huariom och enom wederfars lîska råte.* Item
confirm. Regis Birgeri in Jus Upland. ad hunc mo-
dum: *Tha komber scundum swa til/ at vinskiftis then
lagha städgi sum skipadher är/ til at rätta frankramanna sidhi
och medh jämnaðh aflaggia manna missami/ fore then skyld/
at swa sum tmin lidher och män frafalde och andri tilfö-
dhis/ swa ymisäas manna samwåra: Fore ty at i langum ti-
må kunnu mang ny fall hånda/ och athir förety/ at i gam-
blum lagum hittis sumt medh faum ordum at sage/ ey swa
liusika sum vidhiörs: och fore thessum faldum gjörs vinskis-
pei badhi i Kirkliu råte och Klâsare lagum/ swa at sume är
aflagi/ och sume medh faum ordum fyllat/ och sume allun-
gis mystipat. Aft, sicuti summus Magistratus (ut ex
ipsius Juribus constabat), non imperat solum *Civita-
ti*, sed etiam *Ecclesiae*. *Alia proindè Legislatio con-
cernit res Ecclesiasticas; alia Civiles.* Illa est, quæ
*ordinem in Ecclesiâ constituit vel emendat, prescribendo le-
ges de externâ Religionis curâ & divini cultus officio.* Qua-
lis est Ordin. Eccles. & decret. Ubs. Religio enim
est fundamentum bonæ Reip. quō sublato vel im-
pedito,*

pedito, tollitur in Rep. legitimus ordo. Et *citius ur.*
bem sine solo, quim Remp. sine opinione de Deo, aut con-
stitui, aut constitutam servari posse; cum Lipsio ex Plu-
tarcho recte dicturus fuerim. Quapropter prima
& præcipua Magistratus sit cura, ut veram & Chri-
stianam (quâ nullam aliam Rebusp. esse accommo-
datiorem fatetur & probat Geilf. ex Besold. pol. 2.
c. 1, n. 29.), Religionem in Rep. legitimè introducat,
introductam tueatur, propaget & conservet; falsas
severè prohibeat; contrâ: verum Dei cultum pijs
legibus ita determinet ac circumscribat, ne falsus &
fictitius aliquis irrepatur. Sicuti laudabiliter liquet,
(præter tit. de Ecclesijs **Kyrk.** **B.** in jure Svet. qui
in multis sapit Papismum, proptereaq; magnâ ex par-
te jam est antiquatus), ex Privil. à Reg.ª Christianâ
Anno 1651, Ordini Ecclesiastico sive Clericis con-
cessis. Ut & Ordin.ª de Christianâ nostrâ religione
conservandâ, ab inclytæ memoriae CAROLO X. da-
tâ Holmiæ Anno 1655. alijsq; Decret. Comit. Et nu-
perrimè Decreto Holm. 1664. p. 2. &c.

X.

Legislatio autem Civilis, quæ est medium,
ordinem Civitatis strictè sic dictæ conservandi,
concernit vel *utilitatem publicam*, quâ præscribuntur
leges de statu totius Reip. sive in regno ineundo,
videlicet Jus successionis; sive administrando & con-
servando, ut varia Decreta. Vel *utilitatem privatam*,
quâ leges de singulorum statu, conditionibus ac u-
tilitatibus sanciuntur: quippè, in quibus agitur; vel
de statu, dignitate & coniunctione Personarum; vel
de distinctione Dominiorum ac Commerciorum;
vel de varijs Actionibus. Et sic partim *Personas*,

partim *Res*, partim *Actiones* respicit: ad quæ tria iuriis objecta, Sacratissimus imperator Justinianus in libris IV. Instit. librisq; ff. C. atq; Novell. etiam ritè respexerat. Nec non, & noster Legislator, in Legisterio Svecano, quod ad prædictas tres classes commodè quoq; redigi possit. I. PERSONA RUM, quales sunt Tituli, de jure Regio (quatenus Jus privatum concernit), de personis imperantibus & obedientibus politicè agentes, **Rong** **B.** **L.** & **SL.** De Connubijs, sive personis imperantibus & obedientibus œconomicè, **Gift** **B.** **L.** & **SL.** II. RERUM, quales sunt Tituli; de Hæreditatibus **Erfd** **B.** **L.** & **SL.** de Fundis & prædijs, **Jord** **B.** **L.** & **SL.** de ædificijs & structuris **Bygn** **B.** **L.** & **SL.** III. ACTIONUM, quales Tituli sunt; de Actionibus forensibus, sive hæ prodeant ex contractu, ut **Köp**- & **Skipm** **B.** **L.** & **SL.** Sive ex legis debitâ obligatione, ut **Zingm** **B.** **LL.** & **Nädst.** **B.** **SL.** Sive ex delicto, quod fit vel cum violentiâ, quæ vitam & corpus: idq; aut dolo, animo sc. deliberato læden-dj; Estq; talis violentia vel atrox, hinc **Edzör** **B.** **L.** & **SL.** vel atrocissima, hinc **Högsm** **B.** **L.** & **SL.** aut culpâ idq; vel occidendo: ut 1. ex proæresi & datâ opera **Dräpm** **B.** medh wilia **L.** & **SL.** 2. fortuitò, **Dräpm** **B.** medh wâda **L.** & **SL.** vel vulnerando: & aut voluntate spontanea, undè **Sårm** **B.** medh wilia **L.** & **SL.** aut casu quodâ, undè **Sårm** **B.** medh wâda **L.** & **SL.** Absq; violentia verò quæ bona, partim furto, **Zinf** **B.** **L.** & **SL.** Partim Aleâ, **Dob.** **B.** **SL.**

XI.

Præterea ratione *latitudinis* dividi potest Lex in *Generalem*, quæ omnes in regno concernit, utpote,

utpote: *Ius Civile*, *Constitutiones* & *Recessus*. Et Speci-
alem, quæ vel respectu certæ provinciæ & regionis; ut
Leges Uplandicae, *Westg. Ostg.*, *Helsing.* *Wesmannicae*. Vel
respectu certi collegij, ut *Articuli militares* & *Nautici*.
Huc spectant etiam leges & Constit. Academ. Sta-
tuta municipalia Civitatum & Collegiorum; Svetio
cè *Skråar*. Atq; *singularem*, quæ est Jus contra com-
munes juris regulas alicui singulariter indultum, di-
citur q; alio nomine Privilegium. Sunt autem Pri-
vilegia vel 1. *Personalia*, quæ propter solam personæ
conditionem sunt concessa, & ad hæredes non trans-
eunt, sed cum personâ cui data sunt exspirant; ut
Equitum Auratorum, *Doctoratus*, *Magisterij*, *Privilegia*.
2. *Realia* quæ ad successores transmittuntur, ut *Nob.*
& *Acad. Privilegia*.

XII.

Tandem mores & disciplinam ferè solent
turbare, *otium*, *tenuioris fortunæ hominum oppressio*, *usu-*
ra, *libidines*, *luxus in victu* & *vestitu*, *alea*, *lususq; simi-*
les: *ambitus deniq; & munerum ac dignitatum per aureos*
gradus acquisitione. Ista sunt Rerump. pestis, pernicies
& interitus, quæ legibus propterea sunt corrigenda
& excludenda. Atq; huc referantur Edicta illa Re-
gia & Ordinantiæ, quæ, & hoc anno, & superiori,
in lucem prodiere. conf. Decr. Com. Anno 1664.
p. 7. & ipsa Statuta ac Ordinantiæ. *Expedit enim Reip.*
ne quis suâ re male utatur. *Iustinianus Inst.* de his qui
sui vel alieni juris sunt.

XIII.

Sed, cùm parum est, *Jus in Civitate esse*, nisi
fint qui jura regere possint; iuxta illud Pomp. l. 13. ff.
de Orig. J. Hinc Legislationem excipit JURISDICTIO,

quæ est tertium medium Politicum, quo Magistratus legitimè de re qualibet statuit, & leges latae per certas personas prudenter exequitur. Cujus modus consistit; partim in causæ cognitione, quando ultraq; pars patienter auditur, rationes allatae legitimè ponderantur, & in causam prudenter inquiritur; partim decisione quando fertur iusta sententia, & cuiq; parti suum Jus attribuitur. Vid. Lex polit. Dei, & Proc. ac Ordin. Jud. & tit. de Reg. Judicium. Genera rerum quæ subsunt Jurisdictioni, Arist. l. 4. pol. c. 16. Octo recenset. Sed Piccartus unà cum Christoph. Præt. & Geilfusiō, ad tria summa capita reducunt, dicendo: judicia alia sunt *Publica*, alia *privata*, alia *peregrina*. Vel aliter: quædam res concernunt publicum statum; quædam Civium controvēsias & negotia; quædam *mores* & *disciplinam*. Primo namq; si statum publicum respexerimus, negari non potest, sœpè controvēsias oriri circa res sacras, Magistratus, leges, pœnas & prœmia, aliaq; multa quæ publicā Magistratus per jurisdictionem decisione & executione opus habent. Deinde, si statum & conditionem, aliaq; Civium negotia, quæ inter se habent, attenderimus, dubium planè est nullum, ista Jurisdictionem postulare. Tum, ne disciplina corrumpatur, mores & consuetudines nocentes irrepant; hic quoq; imperio & jurisdictione opus est, ut mala vitentur, bonaq; stabiliantur.

XIV.

Atq; ad hanc jurisdictionem, non solum pertinet censura morum & disciplinæ publicæ; sed & cura educationis, institutionis ac disciplinæ privatæ.

vatæ. *Hæc enim est fundamentum publicæ discipline, quæ labefactata ac neglecta, frustra leges feruntur, frustrag, imperatur ijs, qui obediens non didicerunt.* Plura vid. apud Arist. pol. l. 7. c. 17. & lib. ult. Nec non Besold. dissert. de educatione. Schonb. pol. l. 1. c. 8. Xenoph. & Plutarch. de educ. puer. aliosq;. Proindè affirmaverim, apprimè facere ad conservationem Reip. educationi & institutioni prospici. Privatam patriæ familias iniungit œconomia. Politicus verò dicit ad publicam conservationem instituendas esse Scholas publicas, Collegia, Gymnasia, Academias: ostenditq; ut Majestas non saltem idoneos Magistros, Præceptores, Professores eligat; sed & honorarium de publico constituat. Cujus rei singularem promeriti sunt laudem, non tantum prisci illi Persæ, Macedones, Græci atq; Romani, qui seriam & accuratam iuuentutis educationem adhibuere; sed etiam in patriâ nostra dulcissimâ, celeberrimæ recordinationis Reges & Proceres, immortalem celebrati nominis sui famam sibi peperisse, historia & res ipsa edocet. Ac inter eos est piæ memoriæ G. M. alijq;. Et tempore Reginæ Christinæ, quanta bonaë educationi adhibita sit cura, constat ex ipsâ Constit. Schol. & Gymn. datâ Holmiæ Anno 1649. verbis hisce expressis: *Cum juventus Reip. præcipuus sit thesaurus, & proindè summa cura atq; diligentia in ejusdem educatione adhibenda sit, ut multum referat, quibus artibus & scientijs; quibusve moribus & quâ sermonis elegantiâ puer imbuatur.* Nam si quid falsi, si quid mali aut inepti, tenera illa aetas hauserit, in adultâ id difficilimè corrigi & evelli potest. Non equidem privatum quod aliquâ ratione tolerari possit, hoc malum est: Sed Remp. ipsam, magno

cum ejus detimento afficit. Et mox deinceps; Nos animo nobiscum reputantes, è quadam quasi speculâ perspicientes, quantum damni Reip. atq; in eâ Ecclesiae Christi, è malâ juventutis in regno hoc nostro informatione, accrescat. Officio nostro Regio, nec non singulari, quo in Literas ferimur, eoq; fervemus amore, consentaneum visum fuit; ut serpenti cum primis in Scholis & Gymnasijis malo huic morboq; tempestivum remedium quereremus. Item ex confirm. in Constit. Acad. gloriose recordationis CAROLI GUSTAVI, in hunc modum: Quemadmodum à primo imperij ac Regiae nostrae administrationis tempore, se via nobis cura fuit, amplificandi & conservandi hoc nostrum regnum in optato statu; Remp. sic conformandi, ut orthodoxæ religionis & bonarum artium laude nunc & in posterum clarescat: ita satis compertum habemus, quantum ad hanc rem monumentum, pietatis, Literarum ac disciplinarum studia adferant. &c. Et adhuc sub moderno nostro sere-nissimo Rege, studiorum liberalium optimo fauto-re, cum magno Reip. usu & ornamento florent studia, quod ingens beneficium humilimâ gratiarum actione veneramur. Inter Proceres autem Regni Sveciæ illustrissimos de re literariâ atq; literatis benè meritos, eminet, Excelsus Heros, Dn. PETRUS Brahe Comes in Wisingzborg &c. Patronus meus benignissimus qui non tantum celebrem Scholam, in insulâ Smolandiæ Wisingzburgensi magnifice instituit ac reparavit: sed etiam eandem omni ratio-ne splendidiorem effecit; instructâq; quadam Bibliothecâ, scitis & pretiosis Globis, Mappis ac Tabulis Geographicis, alijsq; ornamenti decoris insigniter adauxit & eximiè exornavit. Quibus omnibus præclarè factis, æternam Illustrissimi Nominis sui famam

famam, memoriamq; apud omnes posteros gratiam at
iucundam S. a. Exc. tas reliquerit. Plura aliorum Ma-
gnatum exempla Magnificentiae in Scholis publicis e-
rigendis, ad ædificationem juventutis & salutem publis-
cam procurandam cum immortalitatis memoriæ, me-
minit Joh. Baaz. Hist. Eccl. I. 6. c. 23. seqq;. Et quo-
niam discessi paululum à re, regrediar.

XV.

Demum est Jurisdictio, alia *Criminalis*; a-
lia *Civilis*: illa in facinorosos legitimè animadvertisit,
vel per pœnas capitales, quibus amittitur vel vita naturalis;
quales poenæ sunt: Crucifixio, crematio, strangu-
latio, decollatio, submersio, disseccio membrorum,
& fractio eorundem per rotam, transfossio vivi. Vel
vita Civilis; veluti damnatio in metallum, ad bestias,
ad carceres perpetuos, exilium. Pœna non capitales,
quædam concernunt famam, ut; infamia, capitis dimi-
nitio. Quædam bona, ut mulætæ pecuniariæ, proscrip-
tio bonorum. Quædam corpus, ut membra alicujus
amputatio, religatio, fustigatio, conjectio in carceres,
stigmatis inustio. *Jurisdictio deniq; Civilis*, de causis
Civilibus & pecuniarijs, nec non criminibus leviori-
bus. *Omnium verò harum pœnarum fines sunt potissimum*
tres 1. vīðētīa, ut cautius mercari discant. 2. τιμωρία,
ut lēse parti satissiat. 3. παράδειγμα, ut reliqui exemplo
terreantur. Honorabuntur recta, prava punientur.
Vell. Et verè dixit Ictus Vlp. ff de, jurisd. I. i. Jus di-
centis officium est latissimum.

XVI.

Expeditis iam medijs ordinarijs, sequuntur
Extraordinaria, Bellum, Confœderatio, Legatio. Vocan-
turq; Extraordinaria, quia non semper, sed certò dun-

taxat tempore requiruntur, & applicantur ad ordinem Reip. tuendum & conservandum. Est igitur BELLUM, medium politicum, quo Magistratus ordinem Reip. vel legitimè propulsando, vel vindicando hostium iniurias, sartum teclumq; conseruat. Christ. Frat. de bello. Et Alth. Habebit causam iustam: iusta enim causa tandem triumphat. vid. Polit. & Hist. Res ad bellum necessarias: Pecunias item, arma duæ etilia & machinas bellicas: Commeatus, munitiones tam naturales quam artificiales. Personas; duces & milites. Illis præcipue commendantur hæ virtutes: scientia rei militaris; fortitudo; prudentia; authoritas & felicitas. Cic. in Orat. pro L. Manil. His verò iniungitur pietas & obedientia, & id quod Charidemus apud Curtium de Alex. M. militibus narrat: ad nutum momentis intendere, signa sequi, ordines servare: quod imperatur, omnes exaudire; obfistere, circuire, discurrere, in cornu mutant pugnam. Sint quoq; milites, robusti, vegeti, generosi, adsveti laboribus, in re militari peri-
ti, R. Sth. 4. B. Lips. pol. 5. Grot. de J. B. & P. Hic ordo militaris certa disciplinâ circumscribatur. Vid. Artic. mil. Finis belli est ipsa pax, quæ bello paritur. Bel- lum gerimus, ut pace fruamur. Conf. decret. Holm. Anno 1564. p. 3. 4. & seq.

XVII.

Fœderibus deniq; nihil ad potentiam est efficacius: imò plus illis, quam bellis proficitur. Est autem Fœdus vel defensionis, quod contrahitur propter mutua auxilia: vel commerciorum, propter commercia institutum: vel atriusq; simul, quod sancitur tum ad præstanta inuicia auxilia, tum etiam ad commercia libe-

liberè exercenda. Hic magnâ opus est circumspetione. Ad fœderum verò sanctionem, aliorumq; negotiorum executionem opus habet Resp. LEGATIS, Gallicè Ambassadeur, Envoy; quorum virtutes sunt præcipue seqq. Animi magnitudo, alacritas & præsentia, temperantia, fidelitas, taciturnitas, prudentia, eruditio exquisita constans notitia linguarum exoticarum, Iurisprudentia, Philosophia & Historiarum. De fœderibus & jure Legatum conf. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 15. & 18.

XVIII.

Iam ea absolvimus media, quibus imperantes ordinem Reip. vel introducunt, vel introductum conservant; superest nunc, Coronidis loco, medium illud, quo obedientes suâ ex parte etiam tendunt ad ordinem introductum conservandum. Nam, sicuti Magistratus subditis promittit, se omnia illorum jura, privilegia, libertatem & bona protectum, atq; sarta tecta conservaturum, R. B. LL. c. 4. jta, huic juramento protectionis, correspondet homagium subditorum, per quod obligant se Regi suo debitum amorem, honorem, obedientiam & tributorum solutionem præsturos, c. 5. R. B. LL. Absq; his neg; conservari; neg; florere Resp. potest: ubi enim nulla obedientia, nullusq; amor subditorum; ibi, odium, metus, discordia & aliae pestes regnant. Regnum autem discors quamdiu stabit? Quocirca, Amore subditi Magistratum complectantur, tanquam Patrem Patriæ, & timore quasi filiali colant. Honore, i. e. debito venerationis cultu venerentur. Consistit autem venerationis illa non tam in genuflexione & honorificâ compellatione, quam in affectu interiori, quô eum, ut vicarium Dei, & pastorem populi prosequantur. Obedientiam tribuant, quâ faciles sint ad obsequium præstandum & imperata exequenda. Sitq; pia & spontanea. Pia, ne honestatis terminos

violet: spontanea ne timore pene, sed amore justitiae exhibeantur. Deniq; Tributorum solutionem, qua ad Reip. & Magistratus conservationem requiruntur hanc gravatim conferant. Imo fidem & obsequium, vitam & spiritum, omnianq; que possident, addicere promptissimi sint, Læss och Blodh/ arg:to in præf. priv. Nob. Et Union. hered. Læsf/ Læsiverne/ godz/ ågor/ och alt thet vii äge/ vele vii hafwa ospart. Atq;. Deer. Goth. A.o 1660. p. 1. &c. Sed manum de tabula tollam, votoq; finiam.

Sit decus huic capiti! vigeant ter membra beata!

Sit anima æqua potens! firma columnæ simul!

Stet, præcor, imperium! stent florida subdita membra!

Omne malum procul hoc corpore pelle Deus.

Huic Optimo & sapientissimo Rerumpublicarum
Conditori ac Conservatori,
G L O R I A. L A U S, H O N O R.

Humanissimo, Præstantissimo, & solidâ Eruditione poli-
tissimo JUVENI,

DN. AMBROSI O NIDULIO Philosophiæ Can-
didato meritissimo, Amico & sympathiæ suo dilectissimo, pro-
summis in Philosophiâ honoribus obtinendis, pulchrè & es-
rudite disputanti, hæc paucula festinus apposuit:

R Es est magna, scio, monstrare Modis quibus aptè
Publica Res quævis CONSTITUENDA venit,
Nec minor est virtus nosse ut SERVETUR & illa;

Illud & Hoc namq; est (pol) Sapientis opus.

Unde ut mente bona facis Hoc, dilecte N I D U L I ,

Et Sophia, & Themidis, laude decente cluis.

Conseruet, voeo, constanter, S V E C I C A Regna,

Fundator summus, qui Régit astra Deus?

Ult vireant, vigeant, seros in Nestoris annos,

J U S T I T I A firmâ ac Religione piâ!

O L A U S N E X I O N I U S

J. U. D. & Professor.

S ucessit cursus: studijs en ferta, N I D U L I ,

Gaude, digna Tuis doctus Apollo parat.

Atque viros inter posthac numerabere claros,

Gratulor, at quæ sint prospera cuncta precor.

A N D R E A S T H U R O N I U S Phys. & Log.

Prof. Ordin. Fac. Phil. h. t. Decanus.